

Incipiunt Retorici Colores.

Versificator quedam tibi tradere curo
Scemata verborum studiis celebrata priorum.
Que sunt in prosa quoque non nimium speciosa.
Sed potes his veluti gemmis aut floribus uti.
Fiet opus clarum. velut ortus deliciarum.
Quo diversorum fragrantia spirat odorum.
Nec deest fructus de florum germine ductus.
Mens auditoris perfusa nit. colore nitoris. (nitore decoris.)
Si sit forte rudis vix dum vulgaria cudis.
Hec si res mentis prohibet hoc et quoque facultas.
Prima prius disce fias ut idoneus hisce.
Parvus interdum temptabis grandia tandem.
Exemplis ergo que res sit hic aperitur
Singula monstrorum per singula particularum.
Nomina cum glosis quibus hec dinoscere possis.

Repeticio est cum continenter ab uno eodemque verbo in rebus similibus et diversis principia sumuntur. Hoc modo.
Tu mihi rex. tu mihi lex. tu mihi dux. tu mihi lux. tu mihi vindex.
Te colo. te laudo. te glorifico. te plaudo.
Femina iusticiam pervertit. femina culpa[illegible].
Femina vitale dedit ortum. femina mortem.

Conversio est per quam non ut ante primum repetimus verbum, sed ad postremum redeuntes. Hoc dicetur hoc modo.
Tu solus bonus es. potens es. deus es. sapiens es.
Et celum portas. mare portas. sidera portas.

Complexio est que utramque complectitur exornationem, et hanc quam ante exposuimus, ut et repetatur idem verbum sepius et crebro ad idem postremum redeatur. Hoc modo.
Qui sunt qui pugnant audacter? Andegavenses.
Qui sunt qui superant inimicos? Andegavenses.
Qui sunt qui parcent superatis? Andegavenses.
Egregios quos livor neget? Andegavenses.

Traductio est que facit ut idem verbum crebrius ponatur non modo non offendat animum, sed etiam commodiorem reddat orationem. Hoc modo.
Si nichil in vita iocundius est tibi vita.
In decore vitam peragens virtute relicta.
Sunt illi curas que mentis dat tibi curas.
Sepe amare velit si quidem non insit amorum.

Contentio est cum ex rebus contrariis oratio conficitur. Hoc modo.
In luctu rides. inter convivia luges.
Mane petis lectum. dimittis vespere lectum.
Pace arma fremis. bellum pro pace precaris.
Cum debes clamare taces. cum parcere clamas.
Urbe rure cupis. laudas bona ruris in urbe.

Exclamatio est que conficit significationem doloris aut indignationis alicuius per hominis aut urbis aut loci aut rei cuiuspiam compellationem. Hoc modo.
O asie flos. tunc potens. o gloria quondam nunc.
In cinerem collapsa iaces. ubi regia proles.
Ex hecuba priami veniens a semine divum.

Ratiocinatio est per quam ipsi a nobis rationem exposcimus quare quodque dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus uniuscuiusque propositionis explanationem. Hoc modo.
Dives avarus eget. propter quod? quia comprimit usus.
Tangere parta timet. cur? ne minuat acervus.
Cur metuit minui? quia mavult esse quere.
Non esset vicium si non ratione careret.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_273/0200